



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum


Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097

Festum Assumption. B. V. Mariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53072)



FESTUM ASSUMPTION. B. V. MARIE.

*Assum.
ptionis
cause.*

THESIS I. *Expedi vobis, ut ego vadam. Joan. 16. v. 7. Imò & ipsi, & nobis expediebat iste discessus.*

I. *Ipsi, quia cùm esset Arca Mystica novi Testamenti, decebat, ut in Templo immortalis Gloriæ illa collocaretur.*

2. *Quia Finem suum jam obtinuit, propter quem eam Deus in Mundum introduxit, ut sua Divina Maternitate cooperaretur Redemptioni Mundi.*

3. *Quia, cùm esset Mater Supremi Regis Gloriæ, debebat possessionem capere ipsius Regni veluti Regina.*

4. *Quia non debebat differri Præmium, & Corona maximis ejus Meritis debita.*

5. *Cùm Christus dixit, ubi ego sum, illic & Minister meus erit, quanto magis ubi Filius, illic sit & Mater.*

II. *Nobis, ut ipsam majori merito venerari, & invocare possemus in Spiritu*

tu

tu & veritate per fidem. 2. Ut illa
proxima Throno Augustissimæ Trini-
tatis eò facilius nobis patrocinari pos-
set, id quod millies experimur. 3.
Ut & nos facilius ad eam recurrere in
necessitatibus nostris possemus. 4.
Ut auxilium illius ab alto longè effi-
caciùs sit. *Alexand. Diotallevi Dom. 4.
post Pascha.*

THESIS II. *Dum compleventur Festum*
dies Assumptionis ejus. Luc. 9. v. 51. triplex.
Sub uno titulo Assumptionis Ecclesia
triplicem Festivitatem peragit; scilicet
Festum Obitus, seu *Transitus*: Fe-
stum *Assumptionis*: Festum *Coronatio-*
nis: omnibus hisce festivitatibus No-
men Assumptionis tribui potest. I.
Transitus, quia in die Obitus sui cum A-
nima assumpta est à terra ad Cælum,
ab hac vita mortali ad vitam æternam.
II. *Assumptionis*, quia hac gloriosa die
assumpta est etiam quoad Corpus ad
cœlestem Beatitudinem. III. *Corona-*
tionis, quia assumpta est ad Regnum, &
Imperium. *Transitus* ipsius honora-
tus fuit per præsentiam Apostolorum
mirabilem. Assumptio honorata fuit
à cœlesti Hierarchia Angelorum ob-
viam

viam factorum. Coronatio honorata fuit ab ipsis tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis, à quibus fuit coronata. *Diotallevi hic.*

Gloria B. **THESIS III.** *Assumpta est.* Ecclesia. I. MARIA triumphat de corruptione Sepulchri, quia triumphavit de Corruptione peccati. II. Ejus Corpus comitatur Animam in cælum, quia in terra nunquam deviavit à semita Spirituali. III. Proxima assistit Deo in æternitate, quia in hac vita remotissima semper à Creaturis. *Dion. Apostolic.*

Coronatio. **THESIS IV.** *In perpetuum coronata triumphat.* Sap. 4. v. 22. I. Coronata à Patre, qui eam Potentissimam effecit. II. Coronata à Filio, qui eam Gloriosissimam reddidit. III. Coronata à Spiritu Sancto, qui eam Amabilissimam præstitit, ita ut Potentissima, Gloriosissima, Amabilissima omnium corda ad se trahat.

Beneficiū in caelo. **THESIS V.** *Assumpta est in cælum.* Eccles. Mundus Deum clementiorrem, benigniorémque nunquam sensit, neque majoribus beneficijs ab eo unquam

quam affectus fuit, quam à quo tempore in cœlum assumpta est MARIA, quia defuit Canalis, per quem è cœlo Divinæ ad nos gratiæ defluerent, hinc tantum roabant cœli, & guttatim gratiæ veniebant. *Euseb. Nierenbergius S. J. de Amore erga B. V. c. 2.*

THESIS VI. MARIA optimam partem elegit. Luc. 10. v. 42. Videlicet, postquam illi Filius dimidium Regni sui obtulit; Regnum verò Christi in duabus partibus consistit, in *Justitia*, & in *Misericordia*, cum sit Judex, & Redemptor Mundi. Data nunc optione: *Dimidium Regni tibi dabo*, MARIA optimam partem elegit, nempe *Misericordiam*, *Justitiam* Christo sibi reservante.

THESIS VII. Salvabit animam ejus à morte. Jacob. 5. v. 20. Consummata felicitas est mori sub Protectione B. V. Nam illa potens est vincere geminos hostes capitalissimos felicitatis nostræ. I. Iram Dei, irritatam à præteritis peccatis nostris. II. Libertatem morientem, & debilitatam, & desperantem propter peccata nostra.

Gloria
B. V.

THESIS VIII. *Non est talis Mulier super terram.* Judith. 11. v. 19. Una fœminatum in omni ævo Lacedæmonia reperitur, quæ I. Regis Filia. II. Uxor Regis. III. Et Mater Regis fuit. *Plinius de summa felicitate Bellè applicari poterit de B. V., quæ Filia Regis Regum, Mater Regis Iudæorum, Sponsa Spiritûs plusquam principalis ac Regij extitit.*

B. V. Ca-
stellum.

THESIS IX. *Intravit JESUS in quoddam Castellum.* Luc. 10. v. 37. Hoc Castellum MARIA dici potest, cujus Fossa Humilitas; Vallum Virginitas; Murus Temperantia; Propugnaculum Justitia, & fortitudo; Armarium Clementia; Tormenta Charitas; Turris Confidentia in Deum; Specula Fides; Sacellum Religio. *Faber hîc Conc. 2.*

Patroci-
nium.

THESIS X. *Dic ergo illi, ut me adjuvet.* Luc. 10. v. 40. Patrocinium B. V. I. Potentissimum. II. Liberalissimum. III. Universale. *hîc Conc. 7.*

Virtutes
B. V.

THESIS XI. *Trabe me post te, in odorem curremus &c.* Cant. 1. v. 3. Scilicet in odorem virtutum tuarum, qua-

quarum ab Evangelistis decem, velut
præcipuæ annotantur : I. *Castitas* :
Quomodo fiet istud, quoniam virum
non cognosco ? II. *Prudentia* : Cogi-
tabat, qualis esset ista saluatio ? III.
Humilitas : Ecce Ancilla Domini. IV.
Fides : Beata quæ credidisti. V. *Gra-*
titudo : Magnificat anima mea Domi-
num. VI. *Obedientia* : Fiat mihi se-
cundum Verbum. VII. *Paupertas* :
Pannis eum involvit, & reclinavit in
præsepio. VIII. *Patientia* : Pater tuus,
& ego dolentes quærebamus. IX.
Pietas : Vinum non habent. X. *Con-*
stantia : Stabat juxta crucem. *Aurium-*
ma S. J. part. I. c. 24. Affectus mutui.

THESIS XII. *Veni, coronaberis. Regina.*
Cant. 4. v. 8. Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum, Regina Prophe-
tarum, Regina Apostolorum, Regina
Martyrum, Regina Confessorum, Re-
gina Virginum, Regina Sanctorum om-
nium. *Vide Michoviensem in Litan.*
Lauret.

THESIS XIII. *Assumpta est. Ec- Festum B.*
cles. Duplex Festum celebrat Eccle-
sia : Festum Assumptionis, seu *Ascensio,*
nis.

nis, & Festum descensionis B. V. Illud
hodie, istud 24. Januarij in Hispania :
Illud ipsius est, hoc nostrum festum est.
Vide Ribadeneira in Flore Sanctorum,
Studeamus & nos ad ipsum per eam ascen-
dere, qui per ipsam ad nos descendit. S.
Bern. Sen. serm. 2. de Adv. Huc facit
Exordium Concionis de Capillis B. V.
P. Knellinger.

Mors ejus.

THESIS XIV. *Assumpta est.* Ec-
clesia. I. MARIA in Morte Naturæ
Miraculum. II. In Resurrectione Gra-
tiæ Miraculum. III. In Assumptione
Gloriæ Miraculum.

*Gloria Vir-
ginis.*

THESIS XV. *Assumpta est.* Ec-
clesia. Triplex Assumptio est Beate
Virginis. I. Corpore & Anima in
cælum ad summam Beatitudinem. II.
Ad singulare homagium Cultûs pro-
prij, qui dicitur Hyperdulia. III. Ad
Communionem Omnipotentia Dei in
Cooperatione ad omnes effectus Gra-
tiæ.

*Amor
Dei in il-
lam.*

THESIS XVI. *Multæ filia con-
gregaverunt divitias, Tu supergressa es uni-
versas.* Prov. 1. v. 29. Deus pro a-
more suo immenso erga MARIAM om-
nibus donis Naturæ, Gratiæ, & Gloriæ
eam

eam ditavit, quantum Creatura pura capax fuit, constituendo ipsam Dominam Naturæ, Thesaurariam Gratiae, Arbitram Gloriæ. Et quidem I. Dominam Naturæ, teste Damasceno l. 4. de fide c. 15. MARIA rerum omnium conditarum facta est Domina, cum Mater exitit Salvatoris. II. Thesaurariam Gratiae, teste S. Bernardino Sen. serm. 61. Omnis gratia, quibus vult, quando vult, quomodo vult, & quantum vult, per Manus ipsius administratur. III. Arbitram Gloriæ, teste Anselmo, concedendo illi privilegium introducendi in cœlum, quoscumque voluerit, hinc *Janua cœli* appellatur, quia per ipsam intrat, qui salvatur. Sic Deus dilexit Virginem. Diotallevi Confid. 13. de Beneficentia Dei punct. 2.

THESIS XVII. *Pretiosa in conspectu Domini Mors*, Pf. 115. v. 15. *Mors in amore.*
Transitus B. V. qualis fuerit, vel inde colligi potest, quod mors tripliciter contingere possit. I. In Amore, scilicet Habituali, qui sanctificat animam. II. Cum Amore actuali, quando actu cogitat, & inhæret Objecto suo Amato,
H 4 isa,

ita, ut neque Mortis dolores animam à Sponſo ſuo ſeparent. III. *Ex Amore*, quando Amor cauſa eſt mortis, & talis fuit mors B. V.

THESIS XVIII. *Deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Philip. I. V. 23. I. MARIA Moriens exemplum nobis præbet Separationis ab omni re creata, qua nos ad mortem præparare debemus. II. MARIA Triumphans, idæam Gloriæ nobis præbet, ad excitandum deſiderium perpetuum cœleſtis gloriæ. *Bretteville.*

THESIS XIX. Tribus privilegijs mors B. V. à Deo exornata fuit. I. In corruptione Carnis. II. Reſurrectione à morte. III. Exaltatione in cœlo ad Dexteram Filij ſui. *Bretteville.*

FESTUM S. BARTHOLO- MÆI Apoſt.

*Ejus Mæv.
171670.*

THESIS I. *Patimur, ut & conglu-
riſe*